

**www.e-rara.ch**

## **Dissertatio Juridica De Donationibus**

**Cramer, Jean**

**Basileæ, [1721?]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Shelf Mark: Diss 259:6

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-80074>

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien - von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material - from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes - des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Catalog

DISSERTATIO JURIDICA  
De  
DONATIONIBUS,

Quam  
AUTHORITATE  
AMPLISSIMI JURISCONSULTORUM  
ORDINIS

In  
PERANTIQUA RAURACORUM  
UNIVERSITATE

Pro Summis in utroque Jure Honoribus  
legitime consequendis

*Publico Eruditorum examini modestè subjicit*

Ad diem 30. Maji, M DCC XXI.

JOHANNES CRAMER

GENEVENSIS,

H. L. Q. S.



BASILEÆ,

Typis JOHANNIS LUDOVICI BRANDMÜLLERI.



DISCRETARIO JURIDICA

DOCTORES

AUTORITATE

ALBERTUS M. P. S. O. N. E. T. O. N. I. U. M.

LIBRARIUS

STANTINUS P. A. R. A. C. O. R. U. M.

UNIVERSITATE

in honore S. M. I. S. T. I. A. N. I.

Legatus C. P. S. I. S. T. I. A. N. I.

Legatus C. P. S. I. S. T. I. A. N. I.

Legatus C. P. S. I. S. T. I. A. N. I.

STANTINUS P. A. R. A. C. O. R. U. M.

UNIVERSITATE

LIBRARIUS

STANTINUS P. A. R. A. C. O. R. U. M.

UNIVERSITATE

VIRIS

*Amplissimis, Nobilissimis, Consultissimis,*

D<sub>N.</sub> D. DAVIDI SARTORIS, J. U. D.

Reipublicæ Genevensis Consuli Prudentissimo.

D<sub>N.</sub> D. JOH. JACOBO PICTET,

J. U. D. Exconsuli Primario Meritissimo, Exprætori  
Integerrimo.

D<sub>N.</sub> D. JACOBO PICTET, J. U. D.

Exconsuli Primario Illustrissimo, summo rei Tor-  
mentariæ Præfecto Vigilantissimo.

D<sub>N.</sub> D. JOH. ROBERTO CHOUËT,

Olim Philosophiæ Professori, nunc verò Exconsuli  
Dignissimo, Scholarchæ Peritissimo, Clarissimo.

D<sub>N.</sub> D. ANTONIO TRONCHIN,

J. U. D. Exconsuli Spectatissimo.

*A vunculo, & Cognatis, studiorum meorum Fautoribus  
omni obsequiorum genere prosequendis*

Hanc Dissertationem Juridicam

*Exiguam non exiguae venerationis monumentum*

Pono

JOHANNES CRAMER,  
Genevensis.

VIRIS

D. D. DAVID SARATORIS IUD.  
 D. D. JOHANNES PICTET.  
 D. D. JACOBO PICTET, JUN.  
 D. D. JOHANNES BERTHOLOMÆUS CHOCURT.  
 D. D. ANTONIO TRONCHINI.

JOHANNES GRAMMEL  
 C. C. C. C.



DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
DONATIONIBUS.

## I.

**N**ovum, & quidem valdè novum hoc seculo rerum acquirendi modum aggredior, donationes scilicet. Pauci enim sunt qui hoc insanix genere laborent, quique alios res suas habere malint quàm se ipsos. Si qui tamen etiamnum adsint, qui donatorum, vel donatariorum nomine insigniantur, quique donationes ab ipsis factas revocari, vel acceptas confirmari velint, uno verbo qui, quid circa hanc materiam senserit Civile Jus scire aveant, reperient in hacce Dissertatione aliqualem difficultatum suarum, quanta saltem paucis in pagellis potuit contineri, resolutionem.

Hic titulus dicitur de fatuis.

## II.

Ne diutiùs immerer, donationis vocabulum, in latissima significatione sumptum quodcunque beneficium denotat, eoque sensu & donationibus inter vivos, & iis quæ fiunt cau-

sa mortis, & conditionalibus, & mutuis, & aliis, si quæ sint, competere potest. Si verò strictius sumatur illa vox, ad eas duntaxat referetur quæ fiunt inter vivos, solius exercendæ liberalitatis gratia.

Hinc patet optimè dividi posse istam Disputationem in duas partes, donationes videlicet puras, & donationes propter aliquam causam, vel adjecta aliqua conditione factas. *Prima* pars complectetur donationes inter vivos; *in alterâ* ceteræ omnes continebuntur;

*Hic Scopus, hæc nostro signabitur area curru.*

### III.

*Donatio inter vivos est mera liberalitas quæ nullo jure cogente in accipientem confertur.* Dicitur *mera liberalitas*, ut excludantur reliquæ donationes, quæ vel propter aliquam causam, vel adjecta aliqua conditione fiunt; qui enim ita donat, ea mente donat ut velit statim accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti, & propter nullam aliam causam facit quàm ut liberalitatem & munificentiam exerceat; *L. i. pr. ff. b. t.* Additur, *nullo jure cogente*, quia illud propriè donatio non est, ad quod quis cogi potuit. Sic alimenta à Patre liberis suppeditata donata dici nequeunt, utpote quæ jure naturali debentur. Denique, *in accipientem confertur*, quia acceptatio est omninò de essentia donationis, cùm invito beneficium non conferatur.

### IV.

Circa donationem, sicut & circa cæteros acquirendi modos, quæri solet an illa juri gentium, an verò juri Civili sit adscribenda? Et placet quidem, præcipuè de donatione inter vivos quæ traditione perficitur, quæque donationis potissima species est, eam ad jus gentium esse referendam: Quid enim habet illa à jure Civili, quod ad ejus perfectionem pertineat? Quid tam naturale est quàm hominem homini benefacere? Quid rationi magis convenit quàm voluntatem domini rem suam in alium transferentis ratam haberi? An, vel apud Sinas aut Lapones credimus nullum esse exercitium libe-

liberalitatis, nullum donationis usum? At, inquis, lex Cincia supra modum donare prohibuit, & nunc donatio excedens summam quingentorum solidorum est insinuanda: Quid tum sequitur? Lex Fusia Caninia vetuit ultra præscriptum numerum manumittere, ideòne manumissio est ex jure Civili? Verita est quarundam rerum venditio, ideòne contractus emptionis-venditionis non est ex jure gentium? Planè cum necessitas insinuationis quarundam donationum ex jure Civili ortum ducat, concedo hujusmodi donationes ex jure gentium ortas solennitatibus juris Civilis subjici; Ceteras verò quæ insinuatione non indigent ex jure gentium & originem, & perfectionem recipere, fateamur necesse est.

## V.

Et hæc insinuatio primis Jurisprudentiæ Civilis temporibus penitus erat incognita: Prima lex in qua de ea fiat mentio est 25. C. de don. edita ab Imperatore Constantino, quæ in omnibus omninò donationibus insinuationem requirit. Quod cum restringere vellet Imp. Theodosius sancivit quascunque donationes propter nuptias, & eas insuper quæ ducentos aureos non excedebant insinuationem non requirere. Quod & ulterius protulit Justinianus summam ducentorum solidorum in quingentos convergens aureos, I. pen. §. ult. C. de donat. aliasque benè multas, quas inferius videbimus, donationes excipiens.

## VI.

Esigitur insinuatio nihil aliud quàm publicatio donationis apud Acta publica. Eaque introducta est, juxta l. 27. C. h. t. ut nimis effusæ donationes quibus homines ad egestatem facile perducere possent, coërceantur: interest enim Reipublicæ ne quis re sua abutatur, & ne facile quid occultæ fraudis struatur, inductis falsò donationibus in fraudem fortè Creditorum. Hæc tantæ est necessitatis ut nullitate laboret donatio non insinuata, saltem quoad excessum quingentorum solidorum, quingenti enim aurei supererunt donatario, cum

I. 35. §. 3. C. de donat.  
in

in rebus quæ natura sua dividi possunt, æquum non sit, ut utile per inutile vitietur.

## VII.

Requiritur insinuatio 1<sup>o</sup>. etiam si contrahentes insinuationi renuntiaverint, non enim in eorum duntaxat gratiam, sed & potissimum in Creditorum favorem introducta est insinuatio, adeoque futiliter renuntiarent, cum duo contrahentes jus tertio quæsitum auferre non possint.

2<sup>o</sup>. Etiam inter conjunctas personas, siquidem clandestinis ac domesticis fraudibus facilè quidvis pro negotii opportunitate consingi potest, vel id quod verè gestum est aboleri; unde etiam donatio liberis à Parentibus facta obnoxia est insinuationi, si legitimam excedat, *l. data C. b. r.*

3<sup>o</sup>. Si plures donationes pluribus personis eodem tempore factæ sint: eo enim casu, si simul additæ excedant summam quingentorum aureorum, quoad excessum illius summæ insinuari debent, idque ita sancitum, quia aliàs difficilè non foret fraudem legibus facere.

4<sup>o</sup>. In donatione ad pias causas, cujus quantumcunque sit favor, tantus tamen non est ut id impedire valeat quod in gratiam commodi publici fuit introductum.

## VIII.

Cessat insinuatio, 1<sup>o</sup>. In donatione qualibet summam quingentorum solidorum non excedente. 2<sup>o</sup>. In donatione remuneratoria, quia causa subest ob quam facta est, sicque cessat fraudis præsumptio. 3<sup>o</sup>. In donatione quam Imperator in privatum, vel privatus in Imperatorem confert. *Sunt superis sua jura; Qui suis laboribus, suis que consiliis pro toto orbe terrarum diù noctuque vigilant, quare non habeant dignam sua prærogativa fortunam? Ut Imperialis fortuna omnes supereminet alias, ita oportet & Principales liberalitates culmen habere præcipuum, l. 7. in fin. C. de bon. quæ lib. Omnium, dominos illius vigilia custodit: omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius negotium; ex quo se Cesar Orbi terrarum dedicavit, se sibi eripuit. Et præterea*  
nun<sup>o</sup>

nunquam aliquid occultè fieri potest coram Principe qui semper Proceres ad latus habere præsumitur. 4<sup>o</sup>. In ea rerum mobilium donatione quæ à Ducibus in milites confertur, l. 36. §. 1. C. de don.  
 5<sup>o</sup>. In donatione in redemptionem captivorum, quia pietas non patitur ut hujusmodi causæ ponatur impedimentum. Quod tamen ad alias pias causas trahendum non est, l. 19. C. de Sacr. Eccl.  
 6<sup>o</sup>. In donatione ad restituendam domum ruinis collapsam, aut incendio consumptam, idque ex causa commiserationis, l. si quis, §. eadem C. b. t. 7<sup>o</sup>. In donatione mutua, quia vicissitudo habet onus annexum, cum tantum quis det, quantum speret, unde propriè hæc donatio dici nequit.  
 8<sup>o</sup>. In donatione causâ mortis, modo coram quinque testibus facta sit, quia potius ultimis voluntatibus annumeratur. d. l. 36. §. 2.

## IX.

Regulariter donare possunt qui liberam habent bonorum suorum administrationem, quia quilibet in re sua legitimus est moderator & arbiter, l. 21. C. mand. modò publicum non versetur interesse, maximè enim providendum est, ne privati fortunis suis abutendo publicum lædant.

## X.

Donare prohibentur 1<sup>o</sup>. servi, quia nihil ad eos pertinet.  
 2<sup>o</sup>. Furiosi, prodigi, & infantes, quia sensus iis deest qui in donatione requiritur, ideoque ipsis bonorum interdicitur administratio.

3<sup>o</sup>. Muti & surdi simul ex natura ipsa, quia voluntatem suam certis indicis non possunt declarare, unde aliud obtinere putarem si tam certis indicis voluntatem suam notam facerent, ut nullus omninò dubio relinqueretur locus.

4<sup>o</sup>. Minor immobilia donare nequit, ne ex decreto Judicis quidem, l. ult. §. fin. C. si maj. fact. Sed mobilia quorum habet administrationem donare potest sine autoritate Tutoris.

5<sup>o</sup>. Filiusfamilias donare non potest, neque si liberam habet peculii administrationem, quia ad hoc non ei conceditur libera peculii administratio ut perdat, perderet autem donans, l. 7. C. de donat.

60. Reus criminis cujus pœna importat bonorum publicationem post admissum crimen donare nequit; unde aliud dicendum arbitror, si donatio facta sit ante admissum crimen, aut si crimen tale sit, quod bonorum publicationem non importet.

## XI.

Ad hoc ut valeat donatio, non sufficit ut donator validè possit donare, requiritur insuper ut donatarius possit accipere. Accipere autem possunt quicumque specialiter non prohibentur.

l. 4. §. 3. ff. de  
Cond. ob  
turp. caus.

Prohibentur verò 1<sup>o</sup>. concubinæ militum; his enim milites donare nequeunt, ne rebus suis per fictas adulationes à focariis suis spolientur; quod intelligendum de donationibus gratuitò factis, nam si quas milites fecerunt meretricibus suis in pretium usûs corporis, non jure repetent. Hæc prohibitio ad concubinas paganorum non extenditur, hæ enim turpiter quidem faciunt quod sint meretrices, sed non turpiter accipiunt.

2<sup>o</sup>. Donare sibi invicem nequeunt conjuges. *Majores nostri*, inquit Jctus in l. 3. ff. de don. int. vir. & ux. *Majores nostri inter virum & uxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum solis animis æstimantes, famæ etiam conjunctorum consulentes, ne concordia pretio conciliari videatur, neve melior in paupertatem incideret, deterior verò ditior feret.*

l. 25. C. de  
donat. inter  
vir. & ux.

3<sup>o</sup>. Cum pater & filius pro una eademque persona habeantur, debeatque esse distinctio inter dantem & accipientem, cum nemo sibi ipsi donare possit, quippe quod semel meum est, meum amplius fieri nequit, sequitur durante patria potestate non valere donationem quam pater filio in sacris paternis constituto facit, nisi eam mors confirmet, aut emancipatio.

4<sup>o</sup>. Liberi ex conjunctione adulterina aut incestuosa nati à Parentibus suis nequeunt accipere juxta *Auth. Licet. C. de nat. lib.*

5<sup>o</sup>. Medici, Chirurghi, Pharmacopolæ, &c. ab ægrotis quos curant donationem immodicam, quæque consuetum sala-

salarium longè excedat, non possunt accipere, quia extorta cenferetur. Quò pertinet illud Martialis in Epigrammatibus:

*Quid si me tonsor, cum stricta novacula supra est,  
Tunc libertatem, divitiasque roget?*

*Promittam, neque enim rogat illo tempore tonsor,  
Latro rogat, res est imperiosa timor.*

## XII.

Sequitur ut videamus de rebus quæ donari possunt, quales sunt eæ omnes quæ in hominum commercio sunt; donari igitur non potest quod non potest fieri accipientis, ut res quæ definit esse in rerum natura, res sacra, religiosa, publicis usibus destinata, liber homo, &c. Neque res aliena potest cum effectu donari, siquidem evinci possit, atque ita dominium non quæritur ei cui donata est. Nec valet donatio hereditatis hominis viventis, facta ab eo qui se successurum viventi sperat, quia pactum futuræ successionis viventis improbat, tum quia viventis nulla est hereditas, tum quia indignus est hereditate qui vivente Domino ad eam adspirat. At mores hodierni hoc pactum probant quo aliqui inter se paciscuntur, v. g. vir & uxor, ut si contingat alterum eorum præmori, aut sine liberis decedere, superstes etiam bona habeat.

l. 14. C. de  
don.

l. 29. §. ult. C.  
eod.

## XIII.

Ut hujus Dissertationis primæ parti finis imponatur, nonnulla supersunt de revocandis donationibus adjungenda. Eæ autem duplici de causa in totum revocantur, nempe propter ingratitudinem donatarii, & propter supervenientiam liberorum. Pro parte verò revocantur, si sint inofficiosæ.

## XIV.

Et ingratitudinem quod attinet, nihil tam justum est quàm donationem propter hanc causam revocari, quia iniquum esset res alienas capere, donatoremque damno rerum suarum, nec non injuria simul afficere. Nec enim justum est ab eo pati injuriam, cui aliquis beneficia contulit, cum liberalitas donantis magis ad obsequia inclinare, quàm ad insolentiam debeat erigere.

## XV.

Causæ ingratitudinis quinque numerantur in *l. ult. C. b. t.*

1<sup>o</sup>. Injuriae atroces. 2<sup>o</sup>. Manus illatae donatori. 3<sup>o</sup>. Jactura maximae partis bonorum illata à donatario. 4<sup>o</sup>. Insidiae structae. 5<sup>o</sup>. Conditionis appositae contumax denegatio. Comprehenduntur quatuor hisce versiculis.

*Restitui donata placet, si verbera primò,  
Aut grave donanti dedecus intulerit;  
Struxerit insidias vitæ, dederit grave damnum,  
Aut si pactorum vult temerare fidem.*

l. r. C. de rev.  
don.

§ ult Inst. de  
inj.

Atque hæc causæ dilucidis argumentis in judicio partibus præsentibus & auditis liquidò probari debent, & quidem ab ipso donatore, qui si siluerit, & conquestus non fuerit post ejus mortem non licebit ejus heredibus agere actione revocatoria propter ingratitude, quia hæc actio personalis est, & magis vindictæ & ultionis persecutionem habet, quàm pecuniæ, remissaque videtur dissimulatione injuriæ, cum vivens non fuerit conquestus de jam facta. Ex quo fit, quod uti actio ingrati non competit heredi, ita nec in heredem donatarii datur.

## XVI.

An præter quinque causas ingratitude in *Thef. præc.* memoratas, possit ex aliis revocari donatio, quæritur? Et quod possit tenet communis DD. sententia, dummodo graviores, aut æquè graves sint quàm allegatæ. Sed contraria sententia verior videtur stricto jure, tum quia *dicta l. ult.* postquam enumeravit quinque illas causas, subjungit, *ex his tantummodò causis*, donationes everti, sic ut alias omnes excludat; tum etiam quia *d. l.* pœnam continet, quæ non debet extendi ex paritate, aut majoritate rationis ad alia quàm ad ea de quibus expressè disponit. Quæ ratio facit, ut inter eas causas non comprehendatur illa, si donatarius alimenta denegavit inopi donatori, ut hic frustrâ donationem revocet; siquidem ante traditionem donationis beneficium habet competentiae, ne ultra quam facere potest condemnetur; post eam autem traditam nullibi in jure concessa reperiatur facultas revocandæ donationis. Postulat tamen æquitas, ut officio judicis donatarius donatori egenti cogatur præstare alimenta, usque ad quantitatem fructuum qui ex rebus donatis percipiuntur; maximè si donator bona sua omnia, aut majorem par-

partem donavit, nec spem habet novæ obventionis. Nam qui tam profusam liberalitatem exercuit, habetur Parentis loco, & velut heredem instituit donatarium, qui proinde non potest non ingratus censerī, si inopem donatorem alere recuset.

## XVII.

Secunda revocandæ donationis causa est supervenientia liberorum, circa quam legenda est, l. 8. C. b. t. *Si unquam libertis Patronus filios non habens, bona omnia, vel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus, & postea susceperit liberos, totum quicquid largitus fuerat, revertatur in ejusdem donatoris arbitrio ac ditione mansurum.* Hæc est famosa illa lex, qua, supervenientibus liberis, revocantur donationes, & circa quam nonnullæ quæstiones veniunt ad examen revocandæ.

## XVIII.

Prima est, *An dicta lex ultra casum suum porrigi debeat, sive an donatio revocari queat, etiamsi donator non sit Patronus, nec donatarius libertus?* Quod affirmatur, hæc enim lex non innititur qualitate personarum, sed conjectura pietatis paternæ; Nec enim præsumitur homo bona sua donavisse, si de liberis cogitasset. cum nullus sit affectus qui vincat paternum.

## XIX.

Quæritur 2<sup>o</sup>. *An renunciari possit hujus legis beneficio?* Et non una est Doctorum omnium sententia. Quidam respondent affirmativè, & tenent per renuntiationem impediri hujus legis dispositionem, idque quia causa propter quam donator revocare potest donationem per supervenientiam liberorum, locum non habet ex isto casu, cum dubium, non sit quin donare voluerit in præjudicium liberorum quos habere possit, utpotè qui consentit in non revocanda donatione etiamsi liberi supervenirent. Imò, addunt, cum pater viventibus liberis, de bonis suis disponere queat in eorum præjudicium, quidni iis nondùm natis idem faciet, cum de iis suscipiendis cogitaverit? E contrà qui hujus legis beneficio renunciari non posse contendunt, ajunt legem hanc non tam in patris quàm in liberorum favorem constitutam esse, ita ut sicut Pater solus revocare nequit donationem à se factam, sed opus est supervenientia liberorum, similiter quoque Pater

folus revocationi nequit renuntiare, sed opus est consensu liberorum; Et magna nobis utrinque videntur rationum momenta, ita ut circa hanc controversiam decisivè pronuntiare, tantasque lites componere non audeamus.

## XX.

Quæritur 30. *an donatio revocetur ipso jure per supervenientiam liberorum?* sunt qui conditionem ob causam duntaxat concedunt, ideoque negant resolvi ipso jure. Alii verò actionem realem dant, secundum quos ipso jure resolvi dicenda videtur. Et horum opinio magis arridet, quia verbum, *revertatur* quod legitur in *d. l.* significat juris ministerium, ideoque denotat aliquid fieri hoc ipso citra hominis factum. Hinc sequitur fructus ex ipso nativitatis tempore, deberi donatori, siquidem ex re ejus sint percepti, quamvis donatarius inscius nativitatis liberorum, bona fide, ex re donata fructus perceptos suos faciat & consumat. Exindè emergit altera quæstio, *An convalescat donatio si qui nati erant liberi, dein vivo donatore decesserint?* Putant nonnulli convalescere, quia causa hujus revocationis cessare videtur liberis postea sublatis, sic autem jus est ut cessante causa beneficii, cesset & beneficium. Sed alii, quorum rectior videtur opinio, censent donationem semel extinctam non amplius, defunctis etiam liberis reconvalescere, ac res donatas manere perpetuò apud Donatorem, quod enim alicui semel quæsitum est, id Domino invito ad alium non transit. Proindè expressa confirmatione opus est, præsertim si res nondum sit tradita, quia tunc nihil est super quo fundetur donatarius, non super pacto donantis quod revocatum est, non super re, quæ mansit penès donantem.

## XXI.

Quæritur 40. *Quinam liberi locum dent revocationi?* Et resp. liberos ex justis nuptiis quæsitos requiri. Quod procedit, etiamsi unus tantum nascatur, quia appellatione liberorum unus quoque comprehenditur, & non dicitur sine liberis decessisse, qui vivum reliquit, præsertim cum ratio tam in uno obtineat, quàm in multis, si qui nascuntur. Dico, *si nascantur*

*nascantur*, quia si tempore donationis liberos jam habebat donator, cessat conditio & præsumtio voluntatis, quod liberos extraneo donatario prælatos voluerit. Planè neque filii naturales, & multò minus spurii producant hanc revocationem, cum in eos non sit talis affectus, qui tantum censetur esse erga eos quos lex probat, cum unusquisque ea cogitare & velle præsumatur quæ juxta leges sunt; & licet ex naturali quodam affectu possit esse eadem paritas & dilectio erga naturales atque est erga legitimos, tamen quia lex istorum ita rationem non habet, pater quoque existimatur non ita fuisse sollicitus.

## XXII.

Revocantur pro parte donationes si sint inofficiosæ. Inofficiosa autem est donatio, liberalitas immensa facta contra officium pietatis, tamque immoderata, ut, donatoris facultatibus exhaustis, legitima non relinquatur iis quibus debetur. Dixi eam pro parte revocari, quia nihil unquam revocatur, nisi quod immodicè donatum est, i. e. detrahitur de donatione quod conquerenti debetur jure legitimæ. Tota non revocatur, quia non in totam peccatum est, pœna enim non debet egredi delictum, & dummodò legitima salva maneat, vel id quod deest suppleatur, totum reliquum patrimonium est relictum liberæ donatoris dispositioni.

## XXIII.

Atque hæc sunt quæ circa primam hujusce Dissertationis partem dicenda habebamus, videamus jam quid circa ceteras donationes sentiendum sit; Has inter primum obtinent locum donationes causa mortis, quæ à donationibus inter vivos non parùm differunt. Donatio inter vivos fit sine ulla mortis contemplatione, donatio causa mortis fit propter mortis suspensionem. Illa temere revocari non potest, hæc revocabilis est ad extremum vitæ spiritum, quousque scilicet ambulatoria est hominis voluntas; in illa nullus, in hac pœnitentiæ datur locus.

## XXIV.

*Est autem donatio m. c. ea qua quis propter mortis suspensionem quidpiam alicui rite donat, undè neque absoluta est donatio,*

tio, neque meram habet liberalitatem, cum qui sic donat supervivere malit, & se habere quàm eum cui donat, magisq; eum cui donat, quàm heredem suum. Hæc igitur donatio ita fit ut non nisi morte donatoris confirmetur; suspicio verò vel cogitatio mortis causa est hujusmodi donationis quæ etiam sanum rectèque valentem movere potest, ut donet hoc modo; quæ proindè causa semper erit exprimenda, nec aliàs erit donatio mortis causa, quamvis ab ægroto facta proponatur, moriens enim donasse, sed inter vivos, non mortis causa reputabitur, cum & moriendi momentum vitæ annumeretur, non morti,

## XXV.

Sunt autem tres species hujuscemodi donationis; Una, cum quis sanus, & in bona valetudine positus, nulloque præsentis periculi metu territus, sola mortalitatis cogitatione donat; Sciens nempe humanum esse mori, mortem certam esse, ejus horam incertam, liberalitatem suam erga amicum exercet. Altera, cum quis metu mortis, præsentisve periculi, vel etiam futuri ita donat, ut statim res fiat accipientis; *mortis causa donare licet, non tantum infirmæ valetudinis causa, sed periculi etiam propinquæ mortis, vel ab hoste, vel à prædonibus, vel ab hominis potentioris crudelitate, aut odio; aut navigationis in-eundæ, aut per insidiosa loca iturus, aut ætate fessus: hæc omnia instans periculum demonstrant;* Quibus quidem casibus statim perfecta est donatio, sed sub conditione resolvitur, si donator præsens periculum evadat. Tertia species est, cum quis periculo motus non sic donat ut statim rem faciat accipientis, sed tùm demùm cum mors fuerit insecuta, quo casu sub conditione pendet donatio.

## XXVI.

Quæritur hic, *An si convenerit ne ullo casu revocetur donatio, quæ titulo donationis mortis causa insignita est, maneat mortis causa donatio, an verò transeat in donationem inter vivos?* Quæ quidem quæstio multiplici Doctorum dissensione ac disceptatione nobilitata est; Ego illis assentior qui putant hujusmodi donationem transire in donationem inter vivos; Licet enim contrahentes dixerint eam esse mortis causa, Judex tamen qui

l. 3, 4, 5, 6 ff.  
de m. c.  
donat.

qui non meram denominationem respicit, quique potius quod actum est, quàm quod dictum inspicit eam inter vivos pronuntiabit: essenziale enim est donationis mortis causa, ut revocari possit, ideoque hoc immutari non potest, quin totus corruat actus, nostraque sententia confirmatur ex l. 28. ff. de m. c. donat. in qua Martianus ait: *Ubi ita donatur mortis causa, ut nullo casu revocetur, causa donandi magis est quàm mortis causa donatio, & ideo perinde haberi debet, atque alia quavis inter vivos donatio.*

## XXVII.

Revocatur donatio mortis causa, 1<sup>o</sup>. per pœnitentiam; liberum est ei qui taliter donavit pœnitere, & factam donationem revocare, cum hæc speciem habeat ultimæ voluntatis, quæ ambulatoria est ad extremum vitæ spiritum, & dat locum pœnitentiæ. 2<sup>o</sup>. Si donatarius decedat ante donatorem. 3<sup>o</sup>. Per voluntariam rei donatæ alienationem. 4<sup>o</sup>. Si donator convalescit, aut vitæ periculum evaserit. Quod si tamen facta sit simpliciter donatio sub mentione mortis, non poterit dici revocata per convalescentiam; ut etiam postea mors contingens faciat rem donatam cedere donatario, quia reconvalescentia donatoris non facit cessare causam donationis, quæ fuit mors non in præsentem, sed quodocunque obventura.

## XXVIII.

Donationes sub modo, sub conditione, vel ex certo tempore fieri possunt, nihil enim est in natura donationis, quod has adjectiones & pactiones respuat.

Modus est causa futura propter quam donatur, ut si Titius donet centum Mævio, ut sibi mortuo extruat monumentum.

Conditio est causa adjecta, quæ facit ut tum demùm donatio effectum habeat, cum aliquid secutum fuerit, nam conditionis natura est differre actus obligationem donec impleatur, interim tamen quamdiu non est impleta conditio, non poterit donator mutare & revocare conceptam donationem,

l.4. C. de  
don. qua  
sub modo,  
&c.

nem, non tam propter jus ad rem quaesitum parti, quam propter spem quam donans non impedit, & quam transmittit ad heredem donatarium. Potest tamen donator donationi suae quamcunque conditionem legibus non improbatam adjicere, ad effectum suspendendi obligationem : sed donationi jam perfectae & consummatae conditionem apponere nequit in praedictum donatarium, ne quidem eo tacente ; etenim per donationem simpliciter factam quaesitum est jus donatario, quod ei invito diminui non potest per conditionis adjectionem.

Hinc patet quanam sit modum inter & conditionem differentia.

Conditio adjecta non per aequivalens, sed praecise est implenda, & donec impleatur non habet effectum donatio. At donatio sub modo facta statim valet, quamvis modus impletus non sit nec impleatur, donatum enim non repetitur propter modum non impletum, nisi talis ab initio dicta sit lex donationi.

Tempus quoque addi potest donationi ; aut certum, veluti ut post annum res donata donatori restituatur ; aut incertum, veluti ut post mortem donatarium rei proprietatem redeat ad donantem.

### XXIX.

Ratione matrimonii variae fieri possunt donationes, vid. donatio ante, seu propter nuptias, donatio favore matrimonii, donatio in favorem superstitis, & sponsalitia munera.

*Donatio propter nuptias* est illa quae dotis compensandae causa a sponso in sponsam, vel a marito in uxorem confertur.

*Donatio in favorem superstitis, Gallice, donation de survie,* est illa qua conjux conjugi superstiti aliquid donat post mortem suam praestandum.

*Donatio favore matrimonii* est illa quae alteri conjugum fit, a Patre, vel extraneo conjugii, non conjugis nomine.

*Sponsalitia munera* sunt quae sponsus in sponsam, vel vice versa sponsa in sponsum confert ante contractum matrimonium.

His tribus lucris nuptialibus tria possumus addere non inu-

inutilia, & 10. quidem, *hypobolum*, seu *incrementum*, Gallicè *l'augment dotal*, quod mortuo marito doti uxoris superstitis adjicitur, quodque varium est pro varia locorum consuetudine. 2<sup>o</sup>. *Theoretum*, quod maritus uxori quæ virgo nupsit dat pro virginitate deposita. 3<sup>o</sup>. *Donatio quam vir ignobilis confert in mulierem nobilem, vel senior in juvenem*, quæ donatio valet, etiam constante matrimonio, quia compensatur cum splendore sanguinis, vel juventutis.

## XXX.

Nostram dissertationem jucunda claudemus quæstione, *An scilicet donatio propter nuptias collata à sponso maneat penes sponsam, si, fortè moriente sponso, matrimonium impediatur, & tamen osculum intervenerit?* Quæ quidem quæstio l. 15. C. de donat. propt. nuptias, deciditur, ut dimidiam duptaxat partem repetere possit heres sponsi. Sed hoc ita decisum arbitror, quia olim magna pudicitiae apud Romanos habebatur ratio, cui vis aliqua per osculum videbatur illata, & hoc quoddam initium consummationis nuptiarum videbatur. Unde an idem hodie obtineret, quandoquidem maxima puellarum pars


*Fragrantia detorquet ad oscula*

*Cervicem, aut facili sevitia negat*

*Quæ poscente magis gaudeat eripi,*

*Interdum rapere occupet,*

cuilibet dijudicandum relinquo.



## COROLLARIA

Ex Jure Canonico depromta.

- I. *Prelatus bona Ecclesie donare nequit sine consensu Capituli, sive in Clericos, sive in Laicos collata sit donatio, Cap. 2. X. de don.*
- II. *Quod limitatur, si res sit modica, Cap. 3. X. eod.*

III.

- III. *Impubes sponsalia contrahere potest, Cap. 4. X. de desp. impub.*
- IV. *Arctitudo femina potest esse causa separationis, si ope humana tolli nequeat; licet mariti dumtaxat, non etiam alterius fortè respectu sit arcta nimis; quo casu separata, judicio Matronarum alteri jungi potest.*
- V. *Vidua intra annum luctus nubens non fit infamis, per Cap. penult. & ult. X. de sec. nupt. & sic juris Civilis sanctio quæ extat in l. 11. S. 3. & 4. ff. de his quæ not. inf. Jure Canonum sublata. Sed hoc de eo casu intelligo quo non est periculum turbandi sanguinis, & superfætationis.*
- VI. *Ob adulterium solvitur matrimonium Jure Canon. tantum quoad thorum, passim in tit. de Divort. Sed in Protestantium Consistoriis etiam quoad vinculum.*

FINIS.

